



**Vademecum Sive Praxis Opera Quotidiana Aliaque ritè  
peragendi, & per ea salutem & perfectionem propriam, ac  
proximi, instituto Societatis Jesu conformem assequendi**

De crebrâ per diem mentis in Deum elevatione ex omnibus, quæ per  
sensus attinguntur, animæque potentiis se objiciunt

**Limpens, Ferdinand**

**Coloniæ Agrippinæ, 1744**

Secunda Methodus. Ratione verbi scripti & spiritus privati.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54773](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54773)

recoxerint errores dicentes, non antiquitates, non consuetudines, non Conciliorum Ecclesie generalium decreta, & SS. PP. doctrinam in ordine ad conducendum hominem ad veram fidem respicienda esse, sed solum scriptum Dei verbum. An autem id extet, & quodnam genuinum sit, & quomodo intelligendum, etiam non servire pro regula communem Ecclesie receptamque de seculo in seculum traditionem, sed interioris spiritus comprobationem.

## Secunda Methodus.

### *Ratione verbi scripti & spiritus privati.*

**J**Am in prænotatis ad resolutionem fidei genuinæ vidimus, quod legitimitas verbi divini scripti ejusque sensus ex spiritu privato, & hujus vicissim infallibilitas ex verbo scripto non debeat probari. Cùm vitiosus sit circulus dubia per æquè dubia probare. Modò dico, quod, cùm Sectarius sit actor, & antiquam Ecclesie doctrinam ac traditionem de genuino scripto Dei verbo ejusque legitimo sensu ex possessione sua spiritu suo privato & suis principiis velit ejicere, quod inquam probare claris Scripture solius verbis debeat hæc quinque. *1<sup>mo</sup>.* Solam Scripturam esse adæquatam fidei regulam. *2<sup>do</sup>.* Non traditionem ullam, aut Ecclesie per CC. generalia definitionem sed interiorem hominis spiritum debere discernere, in quo sensu quisvis S. Scripture textus accipiendus sit. Et cùm Lu-  
thera-

theſanus in alio ſenſu hæc v. g. verba : *Hoc eſt  
Corpus meum; hic eſt ſanguis meus* accipiat, quàm  
Calviniſta, debet hac in parte unus contra alte-  
rum ex Scriptura ſola probare. 3<sup>to</sup>. Quòd ip-  
ſe & non ejus adverſarius verum ac veracem in-  
ternum ſpiritum habeat. Et cùm unus debeat  
habere mendacem ( quia contradictoria, *ad-  
eſſe & non adeſſe verum Chriſti Corpus & ſangui-  
nem*, ſimul nec vera eſſe poſſunt, nec à Deo in-  
finitè verace revelari ) his inter ſe colliſis habe-  
bit Catholicus bonam pacem, & per annos ac  
ſæcula aliis poterit vacare negotiis, donec ex  
Scriptura ſola ſive Lutheranus ſive Calviniſta  
clare probarit, ſe habere Spiritus Sancti affla-  
tum non item alterum. Et cùm juxta Sectario-  
rum principia verum circa Scripturam ejuſque  
intelligentiam [ vide Subſect. 7<sup>ima</sup> hic num.  
4<sup>to</sup> ] diſcretionis ſpiritum tantum habeant fi-  
deles & prædeſtinati. Debet actor ſectarius ex  
Scriptura ſola probare 4<sup>to</sup> ſe fidelem & præde-  
ſtinatum eſſe. Iterum cùm omnis homo ut-  
cunque fidelis mendax tamen ſit in actn primo,  
ſive mentiri poſſit, debet ſectarius actor pro-  
bare 5<sup>to</sup> ex ſolo verbo Dei ſcripto, quòd, dum  
mihi dicit, à ſpiritu ſuo privato ſe edoceri, quòd  
hic liber v. g. Regum & non iſte Machabæorum  
Canonicus ſit, quòd illa non iſta verſio, illa  
horum Bibliorum impreſſio & non iſta, illa in-  
terpretatio & non iſta canonica ſit ac legitima;  
debet inquam probare actor ex ſola Scriptura,  
quòd hæc dicens non loquatur mihi contra  
mentem ſuam. Et in hoc præceptum Dei de

non mentiendo observet, licet aliàs sustineat præcepta Dei observari non posse. Quando Antichristus venturus, vel dies extremi iudicii futurus sit, nescitur penitus. Hoc tamen scio, quòd usque eo & ultra nemo Sectariorum tibi hæc quinque puncta ex solo scripto Dei verbo probaturus sit. Interim his quinque simul ita non probatis ab actore sectario nemo, qui instrui in fide ab ipso cupit, tutò ac securè ei fidere aut propositioni suæ firmiter adhærere poterit, & ideo Ecclesiam Romano-Catholicam ex professione doctrinæ suæ circa hujus illiusve textus interpretationem deturbare, quæ in hac eadem interpretatione se fundat in antiqua de sæculo ad sæculum tradita, & per CC. œcumenica & unanimum SS. PP. & Ecclesiæ Doctorum consensum acceptâ doctrinâ. Et cum Lutherus, Calvinus ab ea recesserint, velintque pro reformatoribus Ecclesiæ suscipi. Deberent iterum hi ex sola Scriptura vel saltem manifestissimo à Deo dato signo, cui contradicere nefas esset, palam facere, & probare Sexto, quòd à Deo iusti sint receptam Ecclesiæ regulam de Scriptura sic intelligenda, ut de sæculo in sæculum per CC. generalia &c. traditum est, cassare, & huic spiritum suum internum pro credendorum regula substituere. O quàm aptè hic quadrat illud Ezech. 13. *Va Prophetis insipientibus, qui sequuntur spiritum NB. suum. Vident vana, & divinant mendacia dicentes ait Dominus (per spiritum meum privatum) cum Dominus non miserit eos.* Cum missionem suam hactenus nullo  
mira-

miraculo vel evidente, cui nemo prudens ac  
timens Deum contradicere nequeat, signo pro-  
barint. Advertite miseræ errantes oviculæ, in  
quæ devia vos abduxerint (spiritu suo privato &  
soliis verbi divini scripti inclamatione antefig-  
nari vestri. Sub initium, ut auctoritatem sibi  
aliquam apud plebem indoctam & majores ve-  
stros conciliarent, cum miraculis vel manifestis  
à Deo signis datis id non possent, non ausi sunt  
auctoritatem de plano statim toti retro antiqui-  
tati CC. generalibus & SS. Ecclesiæ Patribus ac  
Doctoribus in primis quinque sæculis derogare,  
Sed postquam homines primum inescarunt tam  
blandis principiis, *solam fidem & fiduciam in  
Christi meritis sufficere, mandata divina nec ser-  
vari posse, nec opus esse ut servantur*, corraserunt  
pro his & aliis suis Pseudodogmatibus in speciem  
tuendis mutilatos, & ab illis corruptos textus  
CC. & SS. PP. tanquam Catholicò dogmati ad-  
versantes, sed quando Catholici has detexe-  
runt fraudes, & claram istorum Patrum doctri-  
nam attulere, quam ipsi ex professo traderent,  
& integris homiliis, libris, capitibus prosequen-  
tentur. Tunc & illi dixerunt, & vos modò ad  
illorum exemplum dicitis, Patres fuisse homi-  
nes erroribus obnoxios. Nil respici debere  
quam purum putum verbum Dei & spiritum ve-  
strum privatam. Sed cum sex ante memorata  
puncta ex Scriptura Ministelli vestri probare non  
possint; perpendite obsecro amore aternæ ve-  
stræ salutis stimulati. An non prudenti ac im-  
partiali cuilibet homini apparere debeat? ma-  
jorem

jorem inesse autoritatem unanimi à primæva Ecclesia utque huc CC. generalium & SS. Patrum doctrinæ, quam uni Calvino, Luthero alterive à communi se cœtu Ecclesiæ separanti, antiquasque & jam dudum damnatas hæreses recoquenti. Maximè cum hi ipsi, nil in ore, nisi solam Scripturam habentes, nova vobis mysteria in Scriptura nullatenus expressa protrudant, ipsosque Scripturæ textus corrumpant, mutilent demendo, addendo pro libitu, ut variis in locis ostendi, & in sequenti Methodo 3tia & 4ta videre est.

### Tertia Methodus.

*Ratione vulgata à Catholicis recepta, & tot aliorum Bibliorum ab Heterodoxis variis in locis impressorum.*

**P**lurima Biblia modò tam in linguis sacris quam vernaculis impressa prostant sibi quoad varia contradicentia. Catholici *vulgatam* ità dictam admittunt ex traditione & unanimi consensu CC. Pontificum Patrum acceptatam. Ex hac tantorum sæculorum possessione eam ejiciat quisvis sectarius actor, & ex sola Scriptura probet biblia v. g. Genevæ, Basileæ, aliisque in Germania, Gallia, Anglia &c. locis impressa verum purum & incorruptum scriptum Dei verbum continere, non autem vulgatam ab Ecclesia universali Romano-Catholica receptam maximè in iis punctis, in quibus vulgata & biblia  
ab